

in *habere* constat. Forte dicit aliquis: Causa necessitatis habeo et non delector. Cui respondendum est: Unde habes illud? Ille respondit: a parentibus aut ab amicis. Quibus respondendum est: Tu non debuisti illud accipere sine licentia. Si tibi necessarium fuit, debuisti cum licentia abbatis illud habere. Ille respondit: Abbatis quaesivi licentiam, sed noluit concedere. Quibus respondendum est: Melius est in penuria et necessitate mori, quam praevaricator tuae professionis existere.

Cap. XXXIV.

SI OMNES AEQUALITER DEBEANT NECESSARIA
ACCIPERE.

Sicut scriptum est: Dividebatur singulis, prout cuique opus erat. Quasi interrogasse videtur aliquis S. Benedictum, utrum debeant omnes aequaliter accipere; ipse vero quasi respondisset¹⁾ dicens: *Non, sicut scriptum est.* Et dicit: Quomodo? *Dividebatur singulis, prout cuique opus erat.* Hoc autem scriptum est in historia Actuum apostolorum. Ordo enim, qui in illa primitiva ecclesia erat, in monachis remansit. Nam omnes, quotquot tunc credebant, omnia sua in commune tradebant. Unde oportet doctorem, sicut admonet, propriis abrenunciare, ita etiam debet sicut illa primitiva ecclesia unicuique, ut opus est, dividere. Attendendum est, quia egregium ordinem tenuit in hoc loco S. Benedictus, in eo quod prius dixerat, non habere proprium et postmodum dixit: Dividat unicuique, prout opus est, quia, sicut dixi, sicut admonet doctor et abbas, principium sanctae primitivae observare ecclesiae, i. e. propriis abrenunciare, ita etiam congruum est, ejusdem sanctae ecclesiae ordinem observare.

Sequitur: *ubi non dicimus, ut personarum, quod absit, acceptio sit, sed infirmitatum consideratio. Ubi, i. e. in qua distributione non debet abbas aliam causam considerare, sed solummodo infirmitatem.*

¹⁾ respondisse videtur (?).